



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

15 Papa contra constitutionem praedecessoris dispensare, & illam
revocare potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

etiam ex legitimo matrimonio procreatos, vel ex eis nepotes habentes, quia nequeunt suæ testimonium continentia exhibere, & pater erga filios naturali affectus nimium quadam propensione alligatur, ut verendum sit, ne propterea variis propriæ domus negotiis, ac multiplici liberorum cura distractus; Ecclesiæ negotia sibi credita, aut negligenter tractet, aut minus sollicitè, & fideliter, quàm par sit, ejusdem Ecclesiæ jure tueatur, ut in eadem constit. 50, §. cum autem, cap. priusquam, in fin. 28, dist. & c. sicut ver. habentes, 47, dist.

Et pater, etiam ex uno parente germanus, vel patruelis consobrinus, aut amittinus patruus, aut avunculus nepotis ex fratre, vel sorore Cardinalis viventis, eo vivente, & è converso talis nepos patris, aut avunculi, Cardinales esse prohibentur, ut ibidem, §. Insuper ut, & §. sed, & patri, ead. 50, constit. Salva tamen Papæ auctoritate, quia in omnibus supra expressis, in suis Cardinalium promotionibus dispensare potest, tam super ætate, quàm numero, & aliis impedimentis, ut habetur infra in cap. de Dispensat. ferè per tot. cum possit constitutiones prædecessorum revocare, Clemen. un. & ibi gloss. in ver. pro infectis, de imm. Eccles. & Navar. in cons. 3, num. 9, par. 2, de spons. Præterea in Eccles. S. Joannis Later. S. Petri, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & earum singulis est dignitas Archipresbyteralis, quæ Cardinalibus
16 t per Papam confertur cum ordinaria jurisdictione conferendi, visitandi, & corrigendi, qui post Pontificalem primam habent dignitatem, & in eisdem Ecclesiis solum Papam habent superiorem, & tenentur per se ipsos, vel substitutos, animarum curam gerere, ut cap. perlectis, §. Ar-

chipresbyter, 26, dist. & cap. officium, de off. Archipresb. Secundum locum t obtinent Legati, quorum tria sunt genera, de Latere, Missi, & Nati, Guid. Pap. in rubr. de off. leg. Saphil. eod. tit. n. 1, & Specul. de leg. §. superest videre, in princip. lib. 1, par. 1.

18 Legati t de latere sunt Cardinal. qui primum locum obtinent, & eisdem legatione durante, idem honor, sicut Papæ, est exhibendus, gloss. 2, in cap. qua de causa, 2, q. 4. Felin. in cap. mandata, num. 1, de presumpt. & Specul. d. §. sequitur videre, n. 2, & ipsi videntur habere jurisdictionem ordinariam. Abb. in cap. novit, num. 2, & in cap. fin. num. 2, de off. leg. gloss. in cap. Legatos, in verb. Proconsulum, in fine, & in verb. reputantes, eod. tit. in 6, & Specul. de leg. §. nunc ostendendum, num. 54, lib. 1, par. 1, possuntque conferre beneficia, quæ conferre non possunt Legati missi sine speciali Sedis Apostolicæ facultate, c. 1, de off. in 6, & Compostell. in cap. dilectus, num. 5, eod. tit.

19 Legati missi t ad certas Provincias non Cardinales sunt, quibus committitur legationis officium, Specul. d. §. sequitur videre, num. 3, & regulariter vocantur Nuncii, qui omiſſa disputatione, an de jure communi antiquo in Provincia eis commissi, habeant ordinariam jurisdictionem, de qua per Specul. eod. tit. §. superest videre, num. 2, & 3, hodie nec Legati de latere in cognitione causarum habent ordinariam jurisdictionem, quæ illis tribuitur, ut legitur in facultatibus Clementis Papæ VIII. dum Cardinalatus fungeretur officio ad Regnum Poloniæ Legati, ubi ad causas Ecclesiasticas, prophanas, civiles, criminales, & mixtas ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, sine præjudi-